



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XVIII. Alexandri Papae III. Ad Thomam Cantvariensem  
Archiepiscopvm. De legatione in Angliam missa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ti, quanto in gradu sublimiori existunt, tanto frequentius retorquere debemus, & super his maiorem diligentiam & curam propensiorem habere. Hac siquidem consideratione inducti, fraternitati vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in vi obedientiæ iniungimus, quatenus super his, quæ ad ecclesiæ Cantuariensis iura, dignitates, aut etiam libertates spectare noscuntur, vos sine conscientia & assensu venerabilis fratris nostri Thomæ eiusdem ecclesiæ archiepiscopi intromittere nullatenus præsumatis, nec occasione appellationis, quam contra eum ad nos fecistis, id aliquatenus attentetis. Quod si aliquis vestrum contra hoc præceptum nostrum quolibet ausu venire præsumperit, ita in eo excessum istum studebimus, Domino auctore, grauiter vindicare, quod pœna docente, cognoscet, quam periculosem fuerit apostolicis contraire præceptis. Datum Laterani quinto Kalendas Februarii.

## E P I S T O L A XVIII.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

A D T H O M A M C A N T V A R I E N S E M  
A R C H I E P I S C O P U M.

Delegatione in Angliam missa.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

**Q**UOD personam tuam literis nostris non sæpius visitamus, inde prouenire cognoscas, quod per nuntios tuos ea quæ non duximus scriptis committere cognitioni tuae viua voce curauimus frequentius intimare. Nunc autem ad tuae discretionis notitiam volumus peruenire, quod nos pacem tuam votiuis cordis affectibus exoptantes, dilectos filios nostros, Vvilielmum tituli sancti Petri Ad vincula presbyterum, & \* Odonem sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem Anglorum regem, vt legatione in terra sua cismarina fungantur, transmisimus; & specialiter, vt inter te & eumdem regem concordiam &

K k iij

pacem reformat, & cooperante Domino amicabilem faciant compositionem. Vnde quoniam nos pacem tuam & ecclesiæ omnimode vnam reputamus, nec magis, nisi quia ipsam maiorem ecclesiæ vniuersali collaturam credimus utilitatem, optamus; fraternitatem tuam per apostolica scripta rogamus, monemus, consulimus, & mandamus, quatenus, quam periculosus præsentis temporis status existat, & quantum ecclesia tibi commissa præficia & consilio tuo indigeat, consideres diligentius, & attendas ad pacem & concordiam inter te & memoratum regem fundandam, quantumcumque salua tua & ecclesiæ honestate fieri possit, animum & voluntatem tuam inclines.

Et si tibi in his non omnia secundum beneplacitum tuum succedant, ad præsens dissimules; quæ corrigenda fuerint, ad statum pristinum, processu temporis, auctore Domino, reducturus. Nec pro verbo, quod nos in Christo carissimo filio nostro illustri Francorum regi secundum petitionem tuam significauimus, te a pace & concordia bono quoquo modo retardes, aut ab his animum & voluntatem tuam auertas, dummodo in conuentione tuam & ecclesiæ (sicut diximus) honestatem valeas conseruare. Quoniam multa poteris in posterum paulatim habita discrezione auellere, quæ si modo exprimeres, viderentur aliquid magni continere. Verum in iam dictos cardinales potes omnino confidere, nec de memorato Vvilielmo oportet te quomodolibet dubitare: quoniam nos ei, vt ad pacem tuam viribus totis intenderet, firmiter & distincte iniunximus: & ipse tantum nobis promisit, quod nos inde nullatenus dubitamus.

Subuentio-  
nem petit  
papa.

De cetero fraternitatem tuam rogamus, atque monemus, vt dilectum filium nobilem virum comitem Flandrensem ex parte nostra diligenter conuenias, & instantius exhorteris, vt nostra & ecclesiæ necessitate inspecta, nobis in aliquo liberaliter studeat subuenire. Non enim credimus quod acceptiorem Deo eleemosynam possit facere, quam si nobis ad præsens ad tuendam ecclesiæ libertatem dignæ subuentioonis solatium fatigat exhibere.